



REFORMATIONES STATUTORVM LO- QVENTIVM DE DOTIBVS,

Et dotatis Mulieribus, & successionibus ab intestato, ac de vltimis voluntatibus obseruandis, In secundo Volumine Statutorum Mag. Ciuitatis Perusiae positorum sub Rub. xl.v. & xlvi. in Consilio M. D. P. & Camerariorum dictae Ciuitatis legitime, & solemniter obtentæ, ac tam per Illustriss: & Reueren. D. Legatum, quam per S. D. N. PP. approbatæ, & confirmatæ, sub Anno. D. M. D. LX III. PIVS PAPA IIII.



DEPERPETVAM REI MEMORIA M. Et si pro Passoris vniuersalis persona, quam meritis, licet insufficientibus, Diuina dispositione sustinemus cunctarum fidelium per orbem Ciuitatum profectum, prouidamq; non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus directionem paterna dilectione cupiamus, Illa tamen apud Nos præualet solicitude, vt Ciuitatum, Terrarumq; Nobis, & Ecclesiæ Romanæ in temporalibus subiectarum, Ciues, & populi salubribus municipalium Statutorum normis iuxta temporum, personarumq; exigentiam dirigantur, & his, quæ propterea processisse dicuntur, vt illibata persistant, præfertim cum a Nobis petitur aplice libenter adiucimus muniminis firmitatem. Sanè dilecti silij Priores Artium, & Cōmunitas Ciuitatis nostræ Perusinæ Nobis nuper exponi fecerunt, Quod alias ipsis quampliuribus litibus, controversiis, & differentijs, quæ inter Perusinos Ciues, & Incolas super dōtibus, dotatisq; mulieribus, & successionibus ab intestato, ac vltimatum voluntatum præstatione, vel obseruatione frequenter oriri solebant, modum imponere, & æquabili moderamine subuenire volentes; Nonnulla ordinationes, & statuta licta, & honesta, sub noltro,

A & Aposto-

& Apostolicae Sedi beneplacito ediderunt, prout in publico documento de-
super confecto, cuius tenorem de Verbo, ad verbum, praesentibus inseri feci-
mus, plenius continetur. Et sicut eadem expositio subiungebat, Licet Dilectus
filius Iulius Sancti Petri ad Vincula Diaconus Cardinalis de Urbino nuncupata-
tus, ipsius Ciuitatis Legatus Ordinationes, & statuta predicta, tanquam honesta,
& eidem Ciuitati conducibilia facultatum, Legationis sue vigore confir-
mauerit, Ipsi tamen Piores Artium, & Communitas nobis humiliter suppli-
cari fecerunt, quatenus illis pro maiori eorum subsistentia robur approbatio-
nis nostrae adjicere, ac alias in premissis opportune prouidere de benignitate
Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui publicam Ciuitatis utilitatem, & eius
Ciuium praedictorum tranquillitatem sincero desideramus affetu, huiusmo-
di supplicationibus inclinati eadem infra scripta, Ordinationes, Statuta, om-
niaq; , & singula (licita tamen, & honesta, & libertati Ecclesiastice non con-
traria) in eis contenta Apostolica auctoritate ex certa scientia perpetuo con-
firmamus, & approbamus, ac illis perpetua, & inuiolabilis firmitatis robur
adjecimus, omnesq; & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenie-
rint in eisdem supplemus, ac illa valida, & efficacia fore, siuosq; plenarios &
integros effectus omnino sortiri, & ab omnibus inuiolabiliter obseruari debere.
Sicq; & non aliter per quoscunq; Iudices, & Commissarios, etiam Sanctæ Ro-
manæ Eccle. Cardinales in quibus instantijs, sublata eis, & eorum cuilibet qua-
vis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, tenten-
tiari, & diffiniri debere. Ac quicquid secus a quoquam quauis auctoritate sci-
enter, vel ignoranter attentari contigerit; irritum, & inane decernimus. Non
obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, legibus,
ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia robo-
ratis, statutis, & consuetudinibus, etiam municipalibus, ceterisq; contrariis
quibususcunq; Tenor vero Statutorum, & ordinationum, documentorumq;
praedictorum talis est.

De dotibus, & dotatis mulieribus, & successionibus ab intestato. R. 45.



I qua mulier nata, vel nascitura fuerit, vel erit dotata a patre,
vel a matre, vel alio quocunq; ascende de bonis, vel re-
bus proprijs dotantis, non possit, nec debeat ipsa mulier do-
tata, nec descendentes ex ea admitti, vel reuerti ad haeredi-
tatem, vel successionem ab intestato alicuius personæ dotan-
tis eam, & vel alicuius ex descendentijs ab eadem persona
dotante in bonis, & rebus ad ipsum descendenter a dotan-
te prouertis. In alijs autem aliunde prouentis ipsi descendenti ipfa mulier succe-
dat tali descendenti a persona dotante in tertia parte eius, quod sibi obuenis-
set ex successione ab intestato ipsius descendenter defuncti, & ab alijs ratis,
etiam diotorum bonorum aliunde prouentorum ipsa mulier penitus excluda-
tur, quousq; superuixerit masculus descendens ab ipsa persona dotante per
lineam.

lineam masculinam. Declarantes, q̄ bona talis descendens defuncti, vñq; ad eius legitimam, censeantur de bonis ascendentium, non autem de aliunde prouentis. Et similiter si plures habuerit fratres, & ab aliquo ex fratribus dotata fuerit, velab omnibus de bonis proprijs ipsorum, vel alicuius eorum, vel communibus, non possit talis mulier reuerti ad hæreditatem alicuius ex fratribus sibi vtrinq; coniunctis, vel consanguineis tantum sine liberis legitimis, & naturalibus ab intestato decentibus, quousq; super vixerit aliquis frater vtrinq; coniunctus, vel consanguineus tantum ipsius fratri ab intestato mortui sine liberis legitimis, & naturalibus, vel aliquis masculus descendens per lineam masculinam ab aliquo ex dictis fratribus vtrinq; coniunctis, vel consanguineis tantum. Qui fratres, & descendentes masculi per lineam masculinam ex aliquo eorum succedant tali fratri ab intestato sine liberis legitimis, & naturalibus defuncto, ordine iuris inter eos in tali successione obseruando, exclusa ipsa muliere dotata a tali successione, quousq; aliquis ex dictis masculis extiterit. Saluo, q̄ mulieres tempore necessitatis possint habere victimum, & vestitum in hæreditate secundum vires patrimonij, dotem suam, quam habuerint conferendo, si poterint, vel iura cedendo repetendi dotem, causa eam conferendi. Pl;

Item si aliquis receperit aliquam promissionem restitutionis dotis alicuius mulieris de bonis mulieris, siue nominata fuerit illa mulier in instrumento promissionis, vel restitutionis dotis, siue non, ius de dicta dote, & actionem pro ipsa dote repetenda cedere, & restituere debeat ipsi mulieri. Nec confectio, & detentio talis instrumenti ipsi mulieri, nec illi, cui dimitteret, vel ius suum daret, & cederet, obesse possit, aliquo iure communi, vel statuto non obstante, sed ipso iure ipsi mulieri, vel eius hæredibus confectum instrumentum, & quæsum ius censeatur, & nihilominus illum, vel illos instrumentum, vel promissionem de restitutione dotis recipientem, vel Capitaneum, vel alius Officialis compellat ipsi mulieri, vel suis filijs, vel cui ius suum cederet, & dimitteret, vt dictum est, restituere. Et intelligatur dos fuisse de bonis mulieris dotatae, eo ipso, q̄ apparuerit eam dotatam fuisse a patre, auro, auia paternis, vel patruo, vel fratre carnali, vel consobrino, sorore carnali, vel consobrina, etiam si instrumento dotali non diceretur, q̄ essent bona dictæ mulieris, sed simpliciter a prædictis, vel eorum altero darentur. Ita, q̄ non intelligatur de bonis proprijs eius, qui stipulatus fuit dotem sibi restitui, & dotem dedisse, vel promisisse, sed de bonis dictæ dotatae. Nisi dictum esset, & probaretur per dotantem ipsum dedisse, vel promisisse de suo in totum, vel in partem, tunc possit illud, quod dedit, vel promisit, cauere per stipulationem, vel alio modo, prout partes extiterint concordes. In alijs vero personis dotantibus, & stipulantibus seruetur ius cōmune, Pl;

Item si quis, etiam pater, dixerit simpliciter dotare de bonis paternis, & maternis, vel aliorum ascendentium vtriusq; sexus, non aliter expressa quant-

titate paternorum, vel maternorum, vel aliorum ascendentium, tunc intelligatur dos constituta pro dimidia de bonis paternis, & pro altera de bonis maternis, vel aliorum descendantium. Et hoc quando tam bona vnius ascendentis, quam alterius pro sua medietate (iuxta ratam & portionem dotatae de iure tangentem in dictis bonis) ad huiusmodi dotem constitutam sufficeret. Quod si bona vnius ascendentis ad dimidiad dotis constitutae non sufficeret, tunc de bonis alterius ascendentis in eo, quod deerit, intelligatur constituta dos usq; ad portionem ipsi mulieri de iure tangentem de bonis alterius ascendentis. Declarantes tamen, q; per hoc non intelligatur, q; mater, vel auia cogantur in eorum vita aliquid dare ob dicta promissionem dictae filiae, vel eius viro, si sibi non placherit. Nec etiam prohibetur de suis bonis testari, prout de iure sibi permittitur, sed bene intelligatur cum dotata fuerit de dictis bonis, vt supra exclusa a successione ab intestato bonorum, & hereditatis dictorum ascendentium donec, & quousq; superuixerit masculus descendens, ut supra. Pl.

Item statuimus, q; fæminæ, & ipsis non existentibus; earum filij, vel nepotes, quandocunq; concepti, vel nati, possint venire ad successionem parentum, fratribus, & aliarum personarum, ad quorum successionem de iure vocantur, si descendentes per lineam masculinam, masculi non supersint remittendo, vel cedendo, vt supra in §. saluo, q; mulieres, &c. dotes habitas, vel promissas pro dictis mulieribus in hereditate. Declarantes, q; bona alienata per masculos, vel aliquæ eorum a quibus ipsæ mulieres per super existentiam masculorum fuerunt exclusæ, eorum, vel eius portionem non transcendentia a tertius cum titulo possessoribus non possint auocari, seu repeti virtute reintegrationis, sed solum, & duntaxat debeat in portionem alienantis computari; quatenus vero portionem alienantis transcederent, dictis mulieribus, ac dictis eorum descendantibus in casu reintegrationis, ius saluum remaneat. Declarando etiam, q; in extimatione bonorum alienatorum debeat attendi tempus ipsius alienationis, & secundum communem valorem dicti temporis fieri debeat predicta extimatio, Pl.

Item declaratus, & decernitur, q; fæminæ prædictæ, quibus in testo, vel alia ultima voluntate iure institutionis, vel alio quoconq; titulo (legitima quantitas, vel minus legitima relinquitur) contra testamenta, & alias ultimas voluntates homini venire, vel ea quoquo modo rescindere non possint, deficienibus masculis, qui a successione dictas fæminas exclusissent. Nec ob id aliter reintegrari ad hereditatem, sed tantum ab eis peti possit legitime supplementum, & residuum hereditatis, & successonis perueniat ad eos, qui secundum dispositionem statuti, vel iuris communis (cessante statuto) ab intestato successiri sunt, salua tamen testamentaria dispositione, & alia quacunque ultima voluntate. Et intelligantur mulieres esse dotatae, si pro dote, vel simpliciter mulieri aliquid in testo, vel codicillis fuerit relictum, vel datum, vel promis-

sum.

sum per aliquem de personis prædictis, dummodo si minus congrue fuisset dotata, debeat suppleri congrua dos, secundum q[uod] infra ponitur. in §. prox. sequenti qui incipit. Item si aliquis pater, &c. Et secundum q[uod] dicitur in ipso sequens §. Ipse mulieres excludantur a successione, & facultate petendi fructus pro dicta rata. Pl;

Item si aliquis pater, vel auus alicuius mulieris non dotatae decesserit in te-status, frater, vel fratres carnales, etiam ex latere patris tantum ipsius mulieris, si fratrem, vel fratres habuerit, vel alij masculi descendentes ex ipso fratre, vel fratribus per lineam masculinam possint omnes, aut etiam unus eorum (non obstante aliorum, vel alicuius eorum contradictione) dotare ipsam mulierem etiam in vitam, & in quacunq[ue] ætate constitutam, de bonis patris, vel cui competenter secundum conditionem suæ personæ, qualitatem facultatum, & hæreditatis patris, vel cui, & consuetudinem & morem ciuitatis, & de potentia dotis dictæ mulieris, stetur dicto, & declarationi duorum proximiorum attinentium dictæ mulieris, qui ad prædicta declaranda cogantur per Potestatem, vel Capitaneum, vel alium Officiale Communis Perusiae summarie ad petitionem præsentis, & si non fuerint in concordia, tertium attinenti, vel non attinentem, arbitrio iudicis ad prædicta per dictum Dominum Potestatem, sive alium Officiale eligere compellantur, quorum trium, vel saltem dicti tertij, ut supra electi, una cum altero ex dictis duobus, declarationi stari debeat, nec contra dictam declarationem per quemquam aliquid dici, obici, vel fieri modo aliquo possit. Etiam si secundum quantitatatem legitime dos regulata non fuerit, & habita dicta dose, vel permissione facta sibi, vel marito, vel alteri pro eis, vel eorum alteri recipienti, ex tunc excludatur a successione prædictorum patris, & cui, & aliarum personarum, de quibus, & prout supra dictum est, & etiam a facultate petendi fructus pro rata sua dictæ hæreditatis, vel successonis pro tempore tunc præterito, si steterit cum fratribus, vel cum aliquo ex prædictis, sive in alio honesto loco, si ex aliqua iusta causa stare cum prædictis non potuerit, & ab ipso, vel ab ipsis fuerit alimentata. Pl;

Et si casus euenerit, q[uod] aliquis, vel aliqua decesserit cum descendantibus tantum: masculi per lineam masculinam descendentes legiti, & naturales, tali defuncto succedant, iurius ordine inter eos seruando, exclusis feminis, in quibus obseruetur prout in præsenti statuto continetur. Et si aliquis vel aliqua in quacunque ætate decesserit cum ascendentibus tantum, superstite patre, & matre, pater succedat in bonis eius in totum, præterquam in legitima, in qua succedat mater. Et idem ius seruetur in alijs ascendentibus masculis per lineam masculinam, exclusis scilicet ascendentibus per matrem, exclusa etiam auia, sive proauia paterna, præterquam in legitima, quam dicti ascendentes habere debeant, (seruata gradus prerogativa) secundum iurius ordinem. Si vero adcessent mater, & auia paterna tantum, tunc in hæritate equaliter.

succedant, & similiter idem seruetur in auiia paterna, & materna. Pl.

Si autem aliquis, vel aliqua in quacunq; ætate decesserit superstitibus sibi transuersalibus tantum; tunc omnis hæreditas eius debeat pertinere, & devolvatur ad eius fratres vtrinq; coniunctos, & eorum descendentes masculos, & ipsis non existentibus, ad consanguineos fratres, & eorum descendentes masculos (iuris ordine inter eos obseruando) exceptis bonis tali decedenti aliunde prouentis, in quibus sorores, etiam non dotatae, & existentes, & eorum filij, & filiæ tantum, succedant pro tertia parte, vt in principio præsentis statuti disponitur. In Versiculo. In alijs autem, &c.

Et hæc locum habeant, donec, & quoisque superuixerit masculus descendens ex prædictis legitimus, & naturalis.

Et ipsis fratribus, & eorum descendenteribus masculis non existentibus, ad sorores carnales vtrinq; coniunctas, & earum filios tantum masculos, & ipsis non existentibus, ad sorores consanguineas tantum, & earum filios, & filias tantum. Et cum dictis sororibus, etiam vtrinq; coniunctis & earum filijs succedant æqualiter, etiam patrui, & eorum descendentes masculi in stirpes, & non in capita. Et sorores vterinæ, fratres vterini, auunculi, materteræ, & amitiæ tunc non succedant.

Et casu, quo contingat aliquem, vel aliquam quacunq; ætate decedere sine descendantibus, superstitibus sibi ascendentibus, & transuersalibus, tunc pater, & omnes ascendentes masculi per lineam paternam tali decedenti (salua gradus prærogatiua) inter eos succedant pariter cum fratribus vtrinq; coniunctis, & eorum descendantibus masculis legitimis, & naturalibus in stirpes, & non in capita. Et tunc matri, auiæ paternæ, vel ascendentibus per lineam maternam legitima tantum debeat, consequenda secundum gradus prærogatiua. Et dictis fratribus vtrinq; coniunctis non existentibus, vel eorum descendantibus masculis, concurrente modo fratres consanguinei tantum, & eorum descendentes masculi. Et istis non existentibus sorores vtrinq; coniunctæ, & earum filij, & filiæ tantum succedant æqualiter cum patre, & omnibus ascendentibus masculis per lineam maternam iuris ordine seruato. Pl.

Si vero decederet cum matre, auiæ, vel proauia paterna, vel ascendentibus per lineam maternam tantum, superstitibus vtrinq; coniunctis, vel eorum descendantibus masculis, vel eis non existentibus, consanguineis tantum, aut eorum descendantibus masculis, tunc tali decedenti succedant fratres vtrique coniuncti, & dicti eorum descendentes, & eis non existentibus consanguinei tantum, vel eorum descendentes masculi, iuris ordine inter eos in successione seruando, exclusis dictis ascendentibus, præterquam à legitima, in qua succedant, inter eos iuris ordine seruando, & ipsis non existentibus sorores vtrique coniunctæ, & earum filij, vel filiæ tantum iuris ordine seruato, succedant æqualiter cum ipsa matre, auiæ, vel proauia paterna, & alijs ascendentibus per lineam maternam. Pl.

Item

Item quando non superessent fratres vtrinq; coniuncti, vel consanguinei tantum, vel eorum descendentes masculi, neq; sorores, vt supra: sed patruus vnus, vel plures vel eorum descendentes masculi, tunc in medietate bonorum talis decedentis succedat mater, vel auia paterna, vel ascendentes per lineam maternam, iuris ordine inter eos seruando, & in alia medietate succedant patruus vnus, vel plures, & præmortui patrui, vel patruorum descendentes masculi, cum dicto patruo, vel patruis in stirpes, & non in capita, exclusis sororibus vterinis, fratribus vterinis, auunculis, materteris, & amitis. Declarantes, q; si adessent mater, soror vtrinq; coniuncta, & patrui, pariter succedant. Pl.

Insuper statuimus, & declaramus, q; filij legitimati, seu dispensati possint & valeant succedere secundum tenorem, & valorem legitimationis, seu dispensationis, & voluntatem, ac dispensationem (iuri tamen non contrariam) sui patris, vel alterius domini bonorum ipsum legitimantis, etiam in præiudicio filiarum legitimarum, & naturalium, & descendantium ab eis, nec non quo ad effectum exclusionis earum a reintegratione, deficiente linea masculina legitima, & naturali, sine tamen præiudicio in omnibus locorum piorum, & personarum ibi existentium. Pl.

De vltimis voluntatibus obseruañ. Rub. 46.

Ræsenti Capitulo Statuimus, & ordinamus, q; testamentum & quælibet vltima voluntas patris, matris, ascendentium, & cuiuslibet supradictorum debeat inuicibiliter obseruari, & q; mulieres non impediantur ex vltimis dispositionibus capere quicquid eis quocunque titulo relictum fuerit cum dicta tamen declaratione, q; stante testamento, reintegatio illis non detur, nisi, & prout in præcedenti Rub. dictum fuit. Item cum hac alia declaratione, quod quando dotatio reperiretur facta de bonis paternis, & maternis, vel aliorum ascendentium, vt in præcedenti Rub. & mater, vel alius ascendens per lineam maternam in testamento suo, vel vltima voluntate reliquisset aliquid (etiam non ascendens ad legitimam filiæ) quocunque titulo, intelligatur (si aliud exprefse non dixerit) fuisse, & esse in supplementum legitimæ omne illud, quod sibi sub dicta qualitate bonorum maternorum, vel ascendentium pro dote datum, vel promissum fuerit, & in tali supplemento omnino comprehendi debeat. Pl.

Item statuimus, & declaramus, q; per hæc præsentia noua capitula intelligantur in omnibus, & per omnia sublata, & cancellata omnia ea, quæ continentur in lib. 2. Statutorum nostræ Ciuitatis, de dotibus, & dotatis mulieribus ab intellecto sub Rub. 45. & etiam in sequenti de Vltimis voluntatibus obseruandis per filios, & per nepotes, sub Rub. 46. & similiter omnia, & singula alia Statuta, vel Reformationes manu cuiuscunq; Notarij, vel tempore

cuiuscunq; Magistratus circa prædicta hactenus facta, & loco illorum in futu-
rum hæc solum, & duntaxat sub eisdem numeris seruari debeant in omnibus,
& per omnia (sine tamen præiudicio locorum piorum, quæ in omnibus supra-
scriptis Capitulis repetita, & salua esse intelligimus, & intelligenda esse cen-
semus. Pl.

Item volumus, statuimus, & declaramus prædicta omnia, & singula cen-
seri, & esse, ac fuisse Statuta, decreta, & obtenta, accedente consensu, appro-
batione, & confirmatione. S. D. N. & non aliter, nec alio modo. Pl.

Sigillum.

Datum Romæ apud Sanctum Marcum, sub Anulo Piscatoris, Dñe xiiij.
Iulij. M. D. L. XIII. Pont. Nostro Anno quarto.

Cæ. Glorierius.

Moderatio suprascripti statuti concernens loca pia, & personas ibi existentes
facta a S. D. N. Gregorio XIII. Anno Domini. 1573. die se-
cunda Iunij sumpta ex libello aliorum reformationum.

Item Statuimus, & ordinamus, quia clausula fine tamen præiudicio loco-
rum piorum, & personarum ibi existentium alias in fine cuiusdam statuti de do-
tibus, & dotatis mulieribus rub. 45. ac etiam de vltimis voluntatibus obser-
uandis Rub. 46. lib. 2. Statutorum Perusinorum in reformatione facta de
Anno 1563. & die 22. Martij apposita, ac inserta conseruationi agnationum
dictæ Ciuitatis aduersari dignoscitur, & contra omne Iuris, & æquitatis de-
bitum, cum par sit, & esse debeat conditio fæminarum, pia loca ingredien-
tium, q; nubentium. Idcirco Statuimus, & ordinamus dictam clausulam re-
mouendam, & annullandam esse, eamq; panitus irritam, & abolitam faci-
mus. Cæteris tamen in dictis Statutis contentis firmis, ratisque permanenti-
bus. PHILIPPVS Boncompagnus Cardinalis Sancti Sixti. Datum Romæ
in ædibus nostris die secunda Iunij. 1573. Antonius Vgolinus Secretarius.

Anno Domini. 1576. die secunda Iulij.

P E R V S I A. Ex Officina Petriiacobi Petrutij.